

## Quid egisti in gymnasio?

Logomachos, Helena (Logomachi amica) et Camillus, optimi amici, post longum temporis spatium quo nullum (vel saltem rarum) habuerunt commercium, inter sese rursus conveniunt. Dum memoriam rerum praeteritarum repetunt, accidit ut Camillus de gymnasio, quod iuvenis frequentare solebat, maeste mentionem faciat. Hinc oritur colloquium.

Logomachos: « Quantum gaudeo, mi Camille, audiens te quoque in gymnasio discipulum fuisse. »

Camillus: « Mihi ipsi, o Logomache, mors instare videtur quum -eheu!- illud tempus mecum recolo quo olim in gymnasio versabar. »

Helena: « Haha, miserrime, unde tibi repente tot rugae? Quae memoria tibi succurrit de illis studiis cogitanti? »

Ca: « Non tam gymnasium ipsum quam iuventutem meam significabam quae adeo cito elapsa est ut mihi e manibus surrepta esse videatur. Quod ad scholam attinet, illam post duos annos pro dolor relinquere debui quod admodum pauca mihi discere videbar. »

Lo: « Quid ais? Miror te non illis studiis delectatum esse. Mihi enim id tempus in gymnasio suavissimum totius vitae fuit. Praesertim mea studia linguae Latinae valde adamabam idque Fortunae gratias ago quod in una ex optimis omnium scholarum eruditus sum. »

Ca: « Amabo, Logomache, narra nobis quamobrem haec studia tibi tam placuerint. »

Lo: « Quid dicam? Haud multa habeo quae narrem. »

He: « Quaeso, Logomache, te probe novimus, quasi nunc, Cicerone linguatior, repente verborum Finno tenacior factus sis. Bene scis quantum libeat de hisce ad iuventutem pertinentibus disserere. »

Lo: « Sed, Helena, iam ante hebdomadem inter nos de hac prorsus re locuti sumus neque scio quid amplius dicam. »

Ca: « Me tamen absente... Quod si hanc ansam tibi arripueris, iuventutis memoria fruens sine dubio summopere tuis verbis delectabor. »

He: « Ecquis non? »

Lo: « Bene, Mehercle, iam desinite me sic intueri... Verba faciam si re vera tam studiosi estis, at ideo tantum quod optimi adestis amici. »

He: « Sophos! »

Ca: « Macte! »

Lo: « Linguae igitur Latinae per sex annos studui inde ab anno meae vitae duodecimo usque ad

duodevicesimum, quo anno pericula rei publicae cum aliis condiscipulis feliciter subii. Pericula illa ex partibus duabus constabant quarum prima pars ex duodecim Senecae versibus in vulgarem sermonem vertendis, altera vero ex rogatis ad textum et antiquorum cultum pertinentibus. Quum plerique miseri condiscipuli -quomodo dicam- vix valerent ad haec omnia intra constitutum tempus conficienda, ego contra, septem ex decem punctis latis, longe optimus discessi. Haec enim est gymnasii praeclarissima nota dumtaxat patientissimi, firmissimi, constantissimi, ne dicam optimi quique discipuli ad linguam Latinam discendam valent, quorum denique admodum pauci post sex annos pericula secunde subeunt, ita ut iure meritoque culmen et flos totius iuventutis dici possint. An credis, rogo, casu fieri ut, gymnasio perfecto, in studiorum universitatibus aliisque institutis condiscipulis suis identidem punctis praestent? »

Ca: « Bene, id ergo fit propterea quod linguam Latinam didicerunt? »

Lo: « At, Mehercle, non est haec videlicet quaevis obscura vel barbarica lingua. Valde scientiam atque ingenii facultatem iuvat huic linguae operam dedisse, quae plane tam longe a nostra distat ut admodum pauci expedite Latine legere valeant. Huc adde quod nullam linguam tam prodest in aliis linguis, quae nunc sunt, discendis et adhibendis didicisse quam hanc Romanam, quippe quae multarum linguarum parens atque radix sit. »

He: « Cuius rei, nimirum, conscii sunt quicumque sibi docti titulum imponunt. »

Ca: « Gratulor tibi quod videris gaudere te hanc linguam didicisse. Neminem novi qui talem scholam re vera tam placide frequentavit. Plerumque enim controversiae excitantur quum homines inter sese de gymnasio colloquuntur. »

Lo: « Bene novi gymnasium, ignoro autem has, quas affers, controversias. »

He: « Quaenam possit esse de gymnasio controversia? »

Ca: « Ut verum confitear, ne ego quidem quaestionem medullitus perceptam habeo at nonnumquam accidit ut, per rete universale vel per acta nostra diurna -ut ita dicam- errans in iurgia quaedam incurram quibus multorum variasque prudentium hominum sententias proponi et defendi percepi. Etenim, per Iovem, haud pauci homines in haec nunc Latinitatis studia impetus facere videntur, qui, quum ea disciplina nihil prorsus discipulorum vitis prosit, omnes illas in gymnasio horas, quibus infelicissimi illi discipuli huic spernendo inutilique studio insudent, omnino amissas ducunt atque idcirco aliis novis disciplinis commutandas. Agedum, placebit igitur te tandem huius studii expertum idque probantem exaudire. »

He: « At, Camille, sunt complures in gymnasiis linguae Latinae optimi discipuli. Valde miror te numquam antea cum eis collocutum esse. »

Ca: « Novi quidem multos huiusmodi discipulos quum et ipse in gymnasio scholas audirem, neminem vero novi cui illa studia re ipsa cordi sint. Nunc vero, Logomache, linguae Latinae scientia tibi comparata, quae tibi insuper didicisse videris? Quaeso, dicas; nam quum ea lingua a multis nobilissima habeatur, ut de huius linguae peritis taceam, non potest quin aliquid emolumenti insit, idque uberrimum. Immo, fama est -quod quidem ignoro quatenus verum sit- vos citius in studiorum universitates admitti. Eheu, ego qui gymnasium reliqui diu universitatis responsum exspectare debui! »

He: « Nonne iam dixit? Vera constantiae exempla habentur qui gymnasium frequentaverint quum, electissimi ex tam frequentissima iuvenum turba, maxima doctrina praediti sint. Logomachus sicut alii nonnulli eius aequales sine mora nullisque suffragiis dilatis in studiorum universitatem admissus est. Nonne ita est, mi dulcissime rerum? »

Lo: « Ita est ut ais, etenim in gymnasio sex annos, haud aliter atque exanimis gladiator in amphitheatro post ingentem caedem saucius, cruore madens, cum difficillimis sententiis atque constructionibus Latinis dimicavi meque solum prae multis aliis maxima constantia praeditum ostendi. »

Ca: « Inde ob huius acerrimae pugnae constantiam citius in universitatem admissus aut prae aliis tuae aetatis doctior habendus es? Plane ignorabam aptos discipulos ita seligi... »

He: « Res, Camille, ut patet, non prorsus sic se habent ut dicis. »

Ca: « At quid tandem inest huic linguae ut tam constantes reddat sui studiosos? Loquerisne igitur Latine, scribisne, legisne? »

He: « Ei, cave, Camille! »

Lo: « Fu, Camille! In gymnasio vera Latinitas veraque scriptorum perceptio probatissimis rationibus colitur! Tu bene hoc sciebas at nihilominus me ausus es temptare! Nemo est tam stultus ut ignoret illam Ciceronis, Vergilii, Ovidii, Livii, Senecae, Horatii, intelligendi facultatem dumtaxat comparari ab hominibus doctissimis qui integram vitam in textibus perscrutandis atque in vulgarem sermonem vertendis egregie impendunt. Si quis forte de Latine loquentibus, qui nunc sunt, te alloquatur, sine dubio mentionem faciet illorum hominum qui, quosdam in circulos lusorios convenientes, de aeroplanis inversa vi propulsis garrientes verba pseudo-Latina proferunt vel vocabula nova excogitant, longe petita atque absurda prorsus quibus melius doctrinam suam inutilem ceteris blattis ostentent. Forte Fortuna talia plerumque longe abhinc in terris obscuris veluti illis Habsburgensibus fiunt, ubi quidam -ab ipso verbo abhorreo- homines, suis umbraticis ergastulis procul ab omni spe humana inclusi, suas nugae curant. Videant ipsi. »

He: « Audivi eos vix in solem prodire atque ne curare quidem de ea quae nostra aetate circa nos fiunt; Eu Ecastor, istos umbraticos quasi tineas codicibus adhaerentes! »

Lo: « Rectissime dicis eos omnino inscios sui temporis esse. Nos in gymnasio contra constantissimi, minutissima quaeque indagantes, veram Latinitatis scientiam atque intellectum severe colimus. »

Ca: « Atque idcirco constantiam maximam te dicis adeptum esse... Euge! At potest constantia multis aliis modis comparari. Ego, exempli gratia, multos iam annos linguas Ruthenicam atque Sericam colo iamque loqui, legere, scribere valeo. Quin ego in universitatem citius admittar? Praeterea quid huic constantiae cum ipsa lingua Latina? »

He: « A Latino sermone alienae sunt hae linguae quas narras nec praeterea Gymnasium frequentasti... »

Ca: « Atqui est mihi amicus qui, electissimus ex maximo hominum grege verum pertinaciae exemplum, tamquam veteranus miles in exercitu militavit... Ne ille quidem deinde ob constantiam maturius in universitatem admissus est. »

He: « At certe non solum constantissimi cedunt in gymnasio discipuli. Logomachus enim linguae Latinae studens multa de antiquorum hominum cultu atque moribus didicit. »

Ca: « Quid istuc? At nuperrime dixit se et legere et loqui nequire. Num Latine haec de antiquis didicisti, Logomache? »

Lo: « Camille, quaeso, iam te admonui, nolito insania ista profari! Profecto illa omnia multo melius Batavice discuntur. »

Ca: « Ain vero? Quid ergo linguae Latinae studuisti? Modo ut citius admittereris? Improbis enim labor videtur sex alicui rei impendere annos ut discas quod multo facilius aliis linguis discere poteras. Praeterea qui sunt hi magistri ut linguam tam frivolum doceant quae nihil per se utilitatis habere videtur? »

He: « Hui! Nihilne ipsius linguae ponderis hactenus intellexisti? Est enim lingua Latina multarum linguarum genetrix et fons, ut iam dixit Logomachus. »

Lo: « Prorsus quod afferre in mente habebam; Nullam enim linguam -ut iam dixi- tam prodest in aliis recentioribus linguis discendis et adhibendis didicisse. »

Ca: « Ecce, amici, veram causam... Quid? Num magistri ergo linguam Latinam docent quo melius discipuli alias linguas intelligant? Quid de ipsa lingua quam docent, quae ergo nullam per se virtutem habet atque plane frivola ducenda est? »

Lo: « Eho, exspecta modo, nam haec sola causa discendi certe non est. Vera docendi vel discendi causa est quod eius discipuli adeo suam facultatem ingenii exercent ut haec lingua eorum mentes quodammodo commutet. Sic fit ut discentes multo melius legant, dicant, scribant, penitus fere omnia intelligant quae in vita forte acturi sint. »

He: « Attat! Qui omnes ideo multo citius in studiorum universitatem admittuntur! »

Ca: « Vere mirabilis haec lingua est quam narras, qua quidem ut vel unam sententiam intellegere valeas, maximo ingenio sis praeditus oportet. Quod homines quondam hac lingua locuti sint, Hercule, verum caelitus missum miraculum esse videtur... Sine dubio multo ingeniosiores nobis erant illi homines qui antiquitus Latine loquebantur quum ingenio adeo divino praediti essent. Non dubito quin meretrix Romana, ex praeteritorum temporum lupanari ad nostram aetatem reducta, maxima philosopha turbisque concitatis civitatum eversor se praebuerit. Quid creditis? »

Lo: « Lepide tu quidem, de more tuo... »

Ca: « Equidem non initium feci nugandi! An putasne re vera homines, modo ob linguam qua ipsi utuntur, posse omnibus ceteris praestare doctrina, scientia, ingenii facultate? »

Lo: « Hoc tantum scio; quod mihi valde hae scholae placuerunt. Solebam enim inter scholas textus hoc consilio gradatim perscrutari: primum omnium subiectum invenitur, tum verbum temporale, dein huius verbi obiectum et ita porro dum quodammodo sententia Batavica nascitur. Pro certo habeo mihi valde profuisse tali ratione sententias Latinas Batavice construere. Huc adde quod nobis pulcherrima atque iucundissima erat iuvenis quaedam magistra cuius discipuli semper valde studiosi eramus. Omnes,

mehercle, quum primum vocem illam melle suaviorem amoenissimamque sustulit, ei statim paruimus...»

Ca: « Nobis quoque optimus fuit magister et plane consentio plerosque linguae Latinae magistros omnibus aliis mirum in modum longe praestare. At ut redeamus ad rem: Bene memini huius methodi quam diu ipse expertus sim. Attamen nihil mihi visa est prodesse nisi ut aliam linguam, quam vix intellegere valebam, in vulgarem sermonem versam, Batavice intellegere conarer. Quis est tam stultus ut conetur aliam linguam per suum sermonem patrium discere? Ubi, mi Logomache, hic inest methodus qua linguam Latinam discamus? Quid ais, voluistine reapse linguam hanc discere an potius perfunctorie eam leviter perstringere? Iam enim dixisti te post sex annos plane ea uti nequire. »

He: « Ohe iam desine! Nolito tam vehemens in Logomachum invehere quasi ipse esset in culpa. Res enim semper se ita in gymnasio habuerunt atque hanc methodum tralaticiam, quae dicitur, magistri usque inter scholas adhibebunt. »

Ca: « A quibus tandem tradita est haec methodus ut eam tralaticiam nuncupetis? »

He: « Ut verum confitear nescio... At semper fuit. »

Ca: « Heu! Si ita censes, actum est; oculos a veritate devertisti. Vix credere possum te tam plane res gestas ignorare ut verbi gratia Erasmum non noveris. »

He: « Certe novi. At ille linguam Latinam sibi instrumentum habuit quoniam ea tempestate commodum maximum fuit quo cum aliis suis aequalibus colloqueretur. Nunc contra, velis nolis, Anglica lingua hoc munere est ornata neque iam opus habemus hac Latinitate viva. »

Ca: « Eheu, amici, unde sermo tam praeiudicatus inter nos? Quando creditis magistros desivisse linguam Latinam more per saecula tradito docere, id est ut discipuli ipsam linguam vere discerent? »

Lo: « Num saeculo undevicesimo ineunte? »

Ca: « Immo, eo saeculo exeunte, amice, primum desiverunt magistri in universitatibus Latine coram discipulis docere. Mansit autem saltem ad annos quinquagesimos proximi saeculi vel longius mos linguam Latinam veris methodis docere. Nam semper, cuncta per saecula, fuerunt homines qui Latine scripserunt, legerunt, locuti sunt. Utra igitur vobis vera et efficax methodus esse videtur? Num illa quae annis sexagesimis saeculi praeteriti in nostra civitate vigere coepit an haec quae per saecula et hominum aetates adhibita est quo melius homines linguam Latinam re vera discerent? Si enim aequae res aestimaverimus ne methodus quidem dici poterit ista, quae nihil nisi molestias affert neque efficit ut discipuli ad veram linguae utilitatem proficiant. Quid est hoc? Num quis umquam tali ratione quamlibet linguam didicit? Ne praeclarissimi quidem et doctrina pollentes viri veluti Monolithos, Enchespalus, ne ipsum Ciceronem dicam, linguam ita didicissent.»

He: « Bombax! Qui sunt hi Monolithos et Enchespalus? »

Lo: « Ii qui vulgo Einstein et Shakespeare dicuntur. At, Camille, quid tandem vis? Quid tua sententia superest cur operam demus linguae Latinae? »

Ca: « Videris in universum a me quaerere cur quaelibet lingua discenda sit... »

He: « Bene novimus linguae Latinae utilitatem; Nonne iam dixeramus quamobrem linguae Latinae in gymnasio studeretur? »

Lo: « Hoc modo rogo ut plane mihi demonstres cur tua sententia operam linguae Latinae demus. »

Ca: « Cur, inquam, quamvis linguam discimus? Cur Francogallicam in schola didicisti? Certe non ut ingenii tuam facultatem exerceres... »

Lo: « Equidem, sane, ea lingua cum Gallis iucunde confabulor, Voltaire aliosque mihi dilectos scriptores legere possum, ne pluribus agam de pelliculis quibusdam Gallicis quas libenter specto. »

Ca: « Eodem pacto, nempe, quod ad me attinet; linguas disco quo melius cum ceteris hominibus colloquar. Quid enim est lingua nisi instrumentum ad sensa hominum communicanda? Sericam, exempli gratia, didici quum Siamhaevi optimi mihi sint amici. Quo melius Tolstoi, Dostoievski, Pushkin eorum patrio sermone perceptos haberem linguae Ruthenicae diu insudavi. »

He: « At nonne lingua Latina tibi difficillima visa est, Camille? Certe hominis ingenio proderit optimam in lingua Latina operam navavisse. »

Ca: « Ecquid tibi difficilis videtur lingua Latina? »

He: « Imprimis longe a nostris linguis distat. Multos exempli gratia habet casus verborumque tempora minimeque breves sententiae solent Latine conscribi... Non casu a plerisque difficilis habetur. »

Ca: « Ruthenica sex habet casus plurimosque a nobis alienos verborum conspectus, adeo ut mihi primum insanum videretur eam discere conari. Quum autem in Rutheniam iter susciperem, quo magis multos omni genere omnique aetate homines conveniebam, eo magis mihi persuasum habere coepi nihil esse ingenii facultati cum linguarum utilitate. Pueros vidi Ruthenice loquentes! Nihil est lingua nisi per usum consuetudo. »

Lo: « Facile quidem de viva lingua dictu. Latina vero est tam mortua quam amita mea Syra. Nemo iam linguam cum lacte nutricis sugit, quae sub temporis pondere operitur. »

Ca: « Requiescat in pace, amice, mihi sepulcrum ostende ut id olim una visitemus. »

He: « Pol, quam humanus es, Camille. »

Lo: « Gratias tibi ob hoc beneficium oblatum. Certe libenter amitae Syrae sepulcrum ostendam. »

Ca: « Fortasse cras ibimus. Nunc autem dicas, amabo, ubi lingua Latina sepulta iaceat, nam id quoque libenter oculis lustrabo. »

He: « ...Camille... »

Lo: « Quid rursus delirare coepisti? »

Ca: « Bene, bene, sufficet tibi dicere quo anno vel quomodo vel ubi lingua Latina mortua sit. »

He: « Curnam, Camille, ipse credis eam ab omnibus mortuam dici? »

Ca: « Ipsi videant cur ita dicant. Latina quidem numquam mortua est, dumtaxat, -sicut omnibus linguis naturalibus quae dicuntur- subiecta temporum fluctuationibus aliarumque linguarum viribus, transivit in eas linguas quas nunc neo-Latinas dicimus. »

Hel: « Certe non de illis sed de illa Ciceronis, Caesaris eorumque aequalium loquor. »

Ca: « O, iam video! Loquerisne de illa immortalis lingua Latina, omni nectare suaviore omni serico splendidiore omni auro gemmaque pretiosiore quae, haud ipso Iove dissimilis, Saturnum superans per saecula et hominum aetates inde a Cicerone mortuo adhibita est veluti pretiosissimum caelitus demissum instrumentum quo homines inter sese colloquium instituere possent, non solum cum aequalibus suis, sed etiam cum iis qui eos praecesserant et quam nunc in gymnasiis parum fructuose docent? »

He: « De ea loquor... Etsi id non omnino significabam. »

Ca: « Nuperrime de causis locuti sumus quibus impellimur ad alias linguas discendas. Explicate mihi cur id quod sine ulla difficultate de Gallica, Serica, Ruthenica linguis diximus, non tamen de lingua Latina dici possit? Hoc modo significo: Si eam vere callere vultis, desinite imprimis vobis ipsis mentiri atque tandem aliquando concedite linguas non per se esse nec difficiles nec faciles easque esse instrumenta quibus homines inter sese commercium habeant. Potest enim lingua Latina sicut omnes aliae linguae non magno labore -immo, quadam cum delectatione- perdisci, ut iam plurimi nostrorum maiorum plane demonstraverunt. Deinde, si tam placuerit, semper tempus supererit ad eam in Batavicum expedite vertendam, cum iam utramque callueris linguam. »

Lo: « At cur tandem linguam Latinam callere vellem? »

Ca: « Tibi statim dicam. Mente fingas domum quandam qua ingens hominum turba congregata sit, inter alios Monolithos ille, Enchespalus, Tolstoi et quaedam innocens puella, nomine Melitta, quae in gymnasio linguae Latinae studuit. »

He: « Iam satis nugarum, Camille... »

Lo: « Tace! Sine eum finem facere, Helena, causam tandem aliquando scire volo. »

Ca: « Gratias tibi ago. Accidit inde ut horrenda quaedam calamitas in illa domo oriretur, exempli gratia incendium. Maximo igitur cum strepitu de tecto trabes in hominum turbam delabuntur, instant repentinae undique terribiles flammae, gemitant feminae, conclamant viri, deplorant liberi mortem mox futuram omnisque salutis via ita rogo et caligine obtegatur ut oculis iam cerni non possit. Tunc vero Hastiquatius aeger progressus “Pax!” inquit “Omnes tacete! Nam sola erit spes salutis illum hominem invenire qui linguae Latinae operam dedit! Is enim solus adeo suam Minervam acuit ut maximo illo ingenio callide nobis salutem machinari possit! Cito, antequam omnes pereamus! Dicat si quis forte bene calleat linguam Latinam! »

Lo: « ... Et e vestigio progreditur Melitta, qua duce, tota turba a flammis servatur. Quam iucundam fabulam. »

He: « Vix ridens a lacrimis tempero! »

Lo: « Num quis umquam rem magis absurdam audiverit? Cur iterum nugari coepisti? »

Ca: « Qui stulte petit, plerumque stulte accipit. »

Lo: « Quid stulte petivi? »

Ca: « Rogasti cur operae pretium esset linguam Latinam callere cum nuperrime tibi explicuissem. »

He: « Nisi fallor nullum responsum dederas. »

Ca: « Nonne perspicue dixeram linguas disci quo melius homines inter sese commercium constituerent? »

He: « Quid ais? Quis est quocum nunc Latine colloqui possim? »

Lo: « Id est, praeter Habsburgenses illos insanos! »

Ca: « Num Caesar, Cicero, Livius, Vergilius, Horatius, Seneca.. »

Lo: « O, iam bene... »

Ca: « ... Boetius, Alcuinus, Petrarca, Picus, Erasmus, Morus, Muretus, Piccolomini... »

He: « Sed hi omnes iam mortui sunt! »

Ca: « ... Spinoza, Cartesius, Galileo, Newtonius, Vives, Runkhenius, Lutherus, Holbergius aliique viri nobilissimi digni videntur quibuscum colloquaris? »

He: « Iterumne nugaris? Hi omnes iam diu pulvere et terra operiuntur. »

Ca: « Eorum corpora nempe. Scripta contra manebunt quibus adhuc eorum voces percipi possunt. Quae enim sunt litterae nisi epistulae, id est colloquium inter absentes? »

He: « Num Tolstoi mente tibi coram fingis dum eius opera legis? »

Ca: « Aut id facio aut petam voratrinam filii Donaldi. Nisi ita fecissem numquam mihi viderer reapse ad argumenti medullam penetrare posse. Fuit enim auctor olim homo qui ante me vixit. Quid ergo iuvat modo legere litteras quasdam quasi nihil ad legentis vitam pertineant? Heri exempli gratia Gorgiam Platonis legi, quo in dialogo Socrates cum Gorgia Sophista aliisque Atheniensibus de veritate et de vi, quae orationes in hominum mentes habere possunt, disputat. Sophistarum enim sententia nec veritas nec pulchritudo nec bonum nec malum exstat. Nam potest verbum, maximus magus, efficere ut hodie aliquid opinentur homines, cras autem rem omnino contrariam. Sic omnia sub verbi vi mutabilia atque de uniuscuiusque sententia pendentia habentur, ne pluribus agam, de ipsa veritate, quam callidi oratores verbis ita obtegere valeant ut omnes eis statim credant. Patet mihi talia legenti Platonem per Socratem non solum Gorgiam alloqui, sed etiam me ipsum, etiamsi duo millia annorum post eos natus sum. Quid



enim magis ad nostrum tempus pertinet quam illud quod nos dicimus subiectivismum, id est singulos homines suam sibi veritatem vel sententiam habere nec quicquid exstare extra homines veritatis? Sic mihi Socratem et Gorgiam coram me ipso disputantes video et percipio illud verum vinculum humanitatis quod fit per litteras. »

Lo: « Pulchre dixisti et plane tecum hac in re consentio. At redeamus ad quaestionem: Cur enim opus est linguam Latinam discere ut id intellegam quod iam placide Batavice intellegere possim? »

Ca: “